

XXX. Jure Neap. ex Constit. Friderici *de Blasphemantibus*, et ex Pragm. Ferdinandi I. *eodem Tit.* blasphemantes Deum, B. M. V. vel Sanctos linguæ abscissione, tertiæ partis bonorum amissione, ac publici muneris privatione puniendi, qua pœna sub Carolo II. Austriaco etiam in blasphemantes S. Fidem D. N. J. C. animadvertendum constitutum est. At sub Carolo VI. Austriaco an. 1726. mitius cum blasphemis actum est; ut scilicet hi si nobiles, ad quatuor annos relegentur, si plebeji, ad triremes per annos totidem damnentur.

(**) XXXI. Jure nostro Regio blasphemii, si viri nobiles, amissione bonorum secundum delicti gravitatem, et iteratione delicti, multabantur, si plebeji, in prima blasphemia quinquaginta ictibus flagellabantur; in iterata signum litteræ B. faciei candenti ferro imprimebatur; et in tertio repetita, lingua amputabatur: *Leg. II. III. et IV. Tit. XXVIII. Partit. VII.* id quod confirmavit Joannes I. Castellæ *Leg. I. Tit. IV. Lib. VIII. Novæ Recop.* addita quoque ab Enrico IV. *Leg. II. ejusd.* dimidiæ partis bonorum amissione, vel centum verberum pœna si in Regia Curia prolata sit blasphemia. At sub Regibus Catholicis non ita acriter cum blasphemis actum est; ut scilicet unius mensis incarceratione puniantur; si iterato blasphemaverint exilio ad sex menses, et multa pecuniaria; si tertio, vir illustris, multa duplo majori et exilio plectatur, et plebejus post adfixam clavo linguam, cujus loco frænum ori ejus hodie adjicitur, ad triremes damnatur: *Leg. V. et VI. ibid.* Accuratissima hac in re à Judicibus inquisitio peragenda est ex *indic. Leg. I.* et cuilibet facultas conceditur blasphemantem capere, ut eum carceris custodi detruendum tradat: *Leg. IV. eod. (*)*

ARTICULUS VIII.

DE SACRILEGIO.

XXXII. Sacrilegium in eo à Blasphemia differt, quod hæc verbis, illud autem facto injuriam Deo irrogat, unde passim definitur, *Rei sacræ violatio*. Res sacra dicitur, quæ cultui divino addicta est: unde ex S. Thoma *Secunda Secunda Q. XCIX. art. 1.* triplex exurgit sacrilegii genus; nimirum Personale, quum injuria personæ sacræ Clerico, Religioso, Sanctimoniali inferatur; Locale, quum loco sacro, Ecclesiæ, vel Cœmeterio debitus honor denegetur; Reale demum, scilicet quod perpetratur contra res sacras, sive cultui divino peculiariter dicatas, uti sunt Sacramenta, Calices, Imagines Sanctorum, Reliquiæ.

XXXIII. Personale Sacrilegium triplice potissimum ratione committitur: 1. ubi Ecclesiasticam Clericorum quis violans immunitatem, Clericum ad laicum tribunal trahat: de qua Clericorum prærogativa satis *Lib. I. Tit. VIII. 2.* ubi quis violentas in Clericum, vel Monachum manus adtulerit parvi habens Clericorum privilegium; de quo in *Can. XXIX. Causs. 17. Q. IV. 3.* demum, quum quis cum virginibus sacris, aliisve personis Deo dicatis se sociare non erubescat: *Can. VI. Causs. 27. Q. I.*

XXXIV. Triplici quoque ratione locale admittitur Sacrilegium: 1. per locorum sacrorum pollutionem; 2. per localis Ecclesiasticæ immunitatis violationem; ac 3. per omnes, et quoscunque actus, quos ibi exercere legibus vetantur Christiani: at de his *Lib. II. Tit. XIII.* Illud hic tantummodo non abs re observandum, sepulcrorum violationem antiquis tum Ecclesiasticis, tum Imperialibus sanctionibus, tanquam immanissimum delictum, audisse: *Leg. I. et fin. Dig. de Sepulcro viol. Leg. IV. et V. Cod. eod.* ubi inter ea delicta recensetur, quibus generalis

in Paschatis sollempnitate reliquis indulta venia denegabatur: *Leg. III. Cod. Theod. de Indulgentiis.* Epistolæ Canonice Gregorii Nysseni *Cap. 6. et 7. et Concilii Tolet. IV. Can. XLV.* alias *XLVI.* excommunicationis pœna in laicos, depositionis in Clericos sepulcrorum violatores sancitur. (***) Lubet illum transcribere: *Si quis Clericorum in demoliendis sepulcris fuerit deprehensus, quia facinus hoc pro sacrilegio Legibus publicis sanguine vindicatur, oportet Canonibus in tali scelere proditum, Clericatus ordine submoveri.* Et quidem ex *Leg. unic. Tit. V. Lib. II. Novell. Cod. Theod.* à Sisenando confirmata *Leg. II. Tit. II. Lib. XI. Fori Jud.* sepulcrorum violatores capite damnandi sunt. (*)

XXXV. Sacrilegium reale quod spectat, quemadmodum non uno intuitu res aliqua sacra dicitur, uti *Lib. II. Tit. I.* indicavimus, ita diversis quoque modis illud perpetratur. Graviora ejusmodi sacrilegia sunt, quum profanis usibus applicentur Ecclesiæ, Altaria, Vasa sacra, Vestes altaris ministerio addictæ, Saeri Codices &c. De his exstat peculiare Trident. decretum *Sess. IV. de Edit. et usu Sacr. libr.* quo interdicitur cuicui convertere, et torquere *sententias sacræ Scripture ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos.*

XXXVI. Pœnæ in sacrilegos partim legibus sunt sancitæ, partim Judicis arbitrio sancientiæ relinquuntur. Pœna legibus constituta est excommunicatio ipso facto, ut ajunt, incurrenda, quadruplici in casu: 1. in Clerici, vel Monachi percussione: *indic. Can. XXIX.* 2. in violatione immunitatis Ecclesiasticæ: qua de re alibi satis: 3. quum quis Ecclesiam violenter confringere, eamque spoliare audeat: *Cap. 22. de Sentent. Excomm. 4.* demum, quum quis Ecclesiam incendat: *Cap. 19. ibid.* Jure Civili Neap. sacrilegorum pœnæ judicis arbitrio infligendæ relinquuntur; quum verò vel Tempia destruxerint, aut peruperint, vel inde Vasa sacra abstulerint, vel virgines Deo sacratas raperint capitali pœna plectendi sunt, ex Constit. Rogerii *Tit. de Arbitr. Reg.* et ex Constit. Friderici *Tit. de Rapt. et viol. monial. illat.*

(**) XXXVII. Jure Hispano Ecclesiastico 1. pœna imposita, sacrilegio personali, hoc est, quod Clericorum privilegiis irrogatur, præcipua est excommunicatio, ut in Syn. Tolet. III. *Can. XIII.* in quo decernitur, ut si Clericus alium Clericum ad judicia publica vocaverit, *et causam perdat, et a comunione efficiatur extraneus;* et *Can. XXI.* in quo statuitur, ut si Episcopus Clericum, aut servum Ecclesiæ, vel Clerici in publicis officiis occupare voluerit, *a comunione Ecclesiastica efficiatur extraneus.* Eadem excommunicationis pœna animadvertitur in eos, qui Clericum, nisi in flagrante crimine inventum, comprehenderit in Syn. Salmant. an. 1335. *Cap. XVII.* et in Valent. an. 1565. *Sess. IV. Tit. III. cap. 16.* alias 21. quin et in Hispal. an. 1512. *Cap. LIV.* interdicto Ecclesiastico subjiciuntur loca, ubi personæ Ecclesiasticæ adprehensæ detineantur. Est et aliud personale item sacrilegium, illud scilicet, quod adversus sacram Deo castitatem perpetratur, quod Syn. Tolet. I. *Can. XVI.* decem annorum penitentia expiandum sanxit; et Syn. Ilerdens. *Can. VI.* Virginis Deo devotæ corruptorem *a comunione, et Christianorum consortio segregandum constituit.* Jure civili Clericorum immunitatis violatores multa pecuniaria, et aliis pœnis à jure statutis plectendi: *Leg. V. et XI. Tit. III. Lib. I. Nov. Recop.* Interfectores, vel mutilatores Clerici, aut Monachi capite damnandi: *Leg. IX. Tit. XVIII. Partit. I.* Turpissime se Sanctimoniali per vim sociantes extremo quoque supplicio adficiendi sunt: *Leg. III. Tit. XX. Partit. VII.*

2. Locale Sacrilegium, seu injuria locis sacris illata excommunicatione quoque punitur jure nostro Ecclesiastico; unde negotiationes in Ecclesiis, aut cœmeteriis fieri, vel confugientes ab Ecclesia extrahi sub eadem excommunicationis pœna interdixit Syn. Vallis-olœt. *Cap. XVIII.* et Salmant. *præf. Cap. VIII.* Jure Regio colloquentes in Ecclesiis dum Sacra peraguntur, debitamque non servantes Ecclesiis, sive Altaribus reverentiam, pœna pecuniaria multantur: *Leg. I. Tit. II. Lib. I. Nov. Recop.* Eademque multa, sed gravissima, qui Asyli privilegium infringere ausint: *Leg. II. ejusd. et Leg. IX. et X. Tit. XVIII. Partit. I.*

3. Reale Sacrilegium, quod est rerum sacrarum ad profanos usus applicatio, excommunicatione in laicis, et depositione in Clericis punitur, ut in Syn. Brac. III. *Can. III.* sacrarum Ecclesiæ vasorum ad profanas computationes abusus. Jure civili rerum sacrarum fures capite damnantur: *Leg. XVIII. Tit. XIV. Partit. VII.* et adversus eos, qui bona Ecclesiæ, aut suppellectilia occupaverint, pœna dupli constituta est: *Leg. IX. Tit. XII. Lib. VIII. Nov. Recop. (*)*

ARTICULUS IX.

DE SIMONIA.

XXXVIII. Simonia ita dicta à Simone Mago, qui potestatem impartendi dona Spir. S. pecunia emere tentavit: *Actor. Cap. VIII.* rectè definiri posse videtur, scilicet, ut sit *Pactio rei temporalis pro spirituali.* Hæc sanè pactio Simonia, quæ Ecclesiastici Fori delictum est, *essentiam* constituit. Simonia enim, quæ vulgò mentalis vocitatur, ab Ecclesia, quæ non judicat de internis, Deo punienda relinquatur: *Cap. 33. et 34. de Simonia.* Simonia igitur vel Conventionalis est, scilicet quum nonnisi pactio inita sit, at vel nulla, vel ex una tantum parte rei traditio accesserit; vel Realis, scilicet quum vel utrinque per rei temporalis traditionem completa sit. Accedit et altera Simonia species, nimirum Confidentialis, ita dicta, quod alterius fidei maximè innitatur; eaque multiplici ratione admittitur, ac præcipuè quum quis beneficium aliquod recipiat, aut retineat, ut illud postea alteri resignet, vel ut illius fructus pensionemve in eo impositam privatim sine auctoritate Apostolica alteri exsolvat; tum vicissim quum quis beneficium aliquod conferat cum pactione, sive onere illud postea alteri resignandi, aut ejus fructus, vel ex fructibus pensionem alteri designatæ personæ in fraudem juris conferendi. Videtis Bullas Pii III. et Pii V. quarum altera incipit *R. Pontificem*, altera verò *Intolerabilis.*

XXXIX. Præterea Simonia alia est Juris divini, sive naturalis; alia verò Juris humani, sive Ecclesiastici. Prior est Pactio, sive commutatio rei temporalis pro re jure divino, naturalique spirituali. Posterior verò est, quæ committitur circa res jure dumtaxat positivo, sive Ecclesiastico in spiritualium censum relatas ob rationes publico Ecclesiæ bono congruentes. Porrò priorem vere, proprièque Simoniam dixeris; posteriorem verò potiùs *quasi Simoniam*, hoc est Simonia specie quadam proximam, et ob id, ratione juris Ecclesiastici suadente, ceu Simoniam prohibitam. Quamvis in hac re diligentia quanta maxima adhibenda sit, ad accurate inter Simoniam juris Ecclesiastici, et Simoniam juris divini, naturalisque distinguendum, utpote prior tantummodo, haud verò posterior consuetudine, lege, dispensatione mutationi sit obnoxia.

XL. Res temporalis, sive Pretium simoniacum *Muneris* nomine indigitari, ac trifariam partiri jamdiu consuevit; nimirum ut sit munus à manu, à lingua, ab ob-

sequio. Munus à manu est pecunia, et quidquid nomine pecuniæ venit, sive tradita, sive promissa: munus à lingua est favor, laus, adsentatio &c. demum munus ab obsequio est subjectio oblata, quæ multimode præstari potest illi, à quo res spiritualis speratur: uti eidem inservire, ipsum comitari, docere &c. Licet munus quid gratuitum, ac liberale efferat, hic tamen locum pretii debiti tenet.

XLI. Nominè rei spiritualis, pro qua rem temporalem quis paciscitur, significatur quidquid à Deo auctore supernaturali proficiscitur, vel ad Deum, tanquam æternæ salutis auctorem dirigitur. Hoc verò, uti ad rem S. Thomas *Secunda Secundæ Quæst. C. art. 2. et 3.* triplex est. Aliud enim est spirituale in se, uti gratia, virtutes infusæ, jurisdictio &c. Aliud est spirituale efficiens, nimirum illud, quod licet in se sit quid corporeum, efficit tamen supernaturale, sive spirituale: uti sunt omnia Sacramenta. Tertium denique spirituale illud est, quod à causa spirituali efficitur, uti dispensationes in votis, absolutio à censuris &c.

XLII. Simoniaca quoque ea pactio censetur, qua rem temporalem quis paciscitur cum re, licet non prorsus spirituali, at verò spirituali adnexa. Multipliciter verò quid spirituali adnectitur; et quidem vel antecedenter, ejusmodi est juspatronatus, quod nominationem, sive præsentationem ad beneficia anteit, vel concomitanter, uti est labor corporis spirituale ministerium necessario concomitans; vel consequenter, uti beneficia ecclesiastica, quæ nonnisi jam ordinibus initiatis conferri possunt, vel demum ac præcipuè quum ad spirituale refertur, uti sunt Altaria, Vasa sacra, sacræ vestes, aliaque hujuscemodi, quæ ex sacro usu, cui destinantur, veluti spirituale induunt formam.

XLIII. Nominè pactionis, unde Simonia crimen exsurgit, omnis contractus onerosus intelligendus est, sive non gratuitus, quo res spiritualis aliquo pretio temporali emitur, aut venditur, locatur, permutatur, transigitur. Et sanè vocabulum Pactio omne prorsus contractuum genus sua notione complectitur.

XLIV. Simoniam, tanquam delictum hæresi proximum, detestabile quam quod maximè ab antiquis Patribus habitam fuisse nemo vel subdubitaverit. Quod sanè tum de Simonia in Sacramentorum administratione, ac præcipuè in ordinatione, tum et de Simonia in reliquis quibuscunque ecclesiasticis muniis, ac dignitatibus distribuendis, quibus postea beneficia successere, ex æquo intelligas. Et sanè ex Canonibus sic dictis Apostolicis *Can. XXVIII.* in hanc rem sic habet: *Si quis Episcopus, Presbyter, aut Diaconus pecuniæ interventu hanc dignitatem nactus fuerit, deponitor tam ipse, quam qui eum ordinavit, et omnino a communione absconditor, quemadmodum Simon Magus a me Petro: et Concil. Chalced. Can. II. Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, et non venalem gratiam in venditionem deduxerit, et propter pecunias ordinaverit Episcopum, vel Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum, qui in clerum adnumerantur: vel propter pecunias promoverit œconomum, vel defensorem, vel paranomarium, vel omnino aliquem ex canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat; et qui est ordinatus, ex ordinatione, vel promotione, quæ instar mercatorum venundatur, nihil juvetur; sed sit a dignitate, vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est.*

XLV. Igitur pœna antiquo Canonico jure in Simoniacos statuta erat depositio in Clericos, et excommunicatio in laicos. Id cum ex adlatis supra Canonibus elucescit, tum præcipuè ex sic dicto Apostolico, ubi advertas bis in idipsum hac in re vindictam exerceri, dum Clericum simoniacum simul et depositione, et excommunicatione multam constituit; tum quoque ex innumeris Conciliorum æque Orientalium, ac Occidentalium Canonibus, quibus severissimæ in ejusmodi fideles

sive Clericos, sive laicos, pœnæ decernuntur: etiam pactionis simoniacæ interventores tantummodo sint, sive mediatores. Videsis Thomass. *P. III. Lib. I. cap. 49. et sequent.*

XLVI. Pœnæ igitur jure Canonico novo in Simoniacos constitutæ sunt: 1. Excommunicatio latæ sententiæ, ac R. Pontifici reservata, quam incurrunr 1. in ordinatione tam Ordinantes, quam Ordinati: Extrav. *Quum detestabile de Simonia inter Comm.* quod plerique æque Theologi, ac Canonistæ ad primam etiam Clericalem Tonsuram extendunt ex *Cap. 11. de Ætate, et qualit. et ord. præfic.* 2. In ingressu, et professione religiosa omnes singulares personæ dantes, et accipientes ex *Extravag. Sanè de Simonia inter Comm.* 3. In beneficiis, et officiis spiritualibus omnes simoniace eligentes, præsentantes, vel instituentes; tum qui sic eligi, præsentari, institui patiuntur, ac etiam omnes mediatores, et procuratores simoniacæ pactionis; quod postremum in ordinatione quoque locum habet: Extrav. *Quum detestabile mox laud.* et alibi.

2. Pœna est suspensio ab ordine, in quam in ordinatione incidunt simoniace ordinati: Extrav. ead. *Quum detestabile.* Ordinantes verò ex *Cap. 45. de Simonia* tantummodo per triennium ab quorumcunque ordinum collatione suspensi sunt; at ex Bulla Sixti V. *Sanctum* suspenduntur perpetuo ab quorumcunque ordinum, etiam primæ tonsuræ, collatione, et ab exercitio omnium munerum Pontificalium; atque etiam ab ingressu Ecclesiæ sunt interdicti. Eandem pœnam in ingressu religionis incurrit conventus Monachorum aliquem simoniace recipiens: suspensionem scilicet ab omnibus actis Capitularibus, quæ Ecclesiasticam requirant jurisdictionem.

3. Pœna est infamia, qua quisquis peræque Simoniacus adficitur: Innocentius II. in Concilio Lateran. II. *Et emtor, atque venditor, et interventor nota infamiae percillantur.*

4. Pœna in beneficiis ecclesiasticis in eo est, quod omnis simoniaca electio, præsentatio, resignatio, vel collatio irrita est, nullumque jus tribuit: unde beneficium sic acquisitum redhibendum est cum omnibus fructibus inde perceptis, et quidem ante Judicis sententiam ex indicata Extrav. *Quum detestabile.* Atque, adeo, sic electus, vel provisus redditur inhabilis non modò ad idem beneficium recipiendum: *Cap. 27. de Simonia, et Cap. pen. de Elect.* sed etiam ad quodeunque aliud consequendum ex Bulla Sixti V.

XLVII. Postremò in Simonia confidentiali præter hæcenus explicatas nonnullæ aliæ constitutæ sunt pœnæ, et quidem ex Bullis Pii IV. et Pii V. Hæ sunt 1. privatio beneficiorum, quæ legitimè quis ante admissam Simoniam Confidentialem consecutus sit. Porrò hanc privationem judicis sententia decernendam esse consentiunt serè Doctores. 2. Beneficiorum per Confidentiam receptorum collatio R. Pontifici reservatur. 3. Episcopi, aliive Superiores illam admittentes interdicuntur ab Ecclesia. 4. Demum ad ejusmodi pœnas promerendas satis est, ut contractus simoniacus ex una tantum parte sit completus.

XLVIII. Simoniaci tenentur restituere fructus, quos ex sic acquisitis beneficiis perceperunt, et quidem Ecclesiæ læsæ, vel pauperibus. At de hoc capite opportunus Theologi Morales.

(**) XLIX. Hispaniarum Patres iteratis, iisque gravissimis pœnis coercendos esse Simoniacos decreverunt. In Episcopos pecunia intercedente in Ecclesiam ingressos Syn. Tolet. VIII. *Can. III.* anathema. Tolet. XI. *Can. IX.* duorum annorum exilii pœnam, excommunicationem, et depositionem contorquet. Episcopos, qui munusculis intercedentibus Clericos ad Ecclesiasticos gradus provehere non

formidarent, Synodus Bracar. II. *Can. III.* anathemate percellit una cum ordinatis; utrosque etiam honoris amissione punit Syn. Tolet. VI. *Can. IV.* Quocirca Synod. Hispal. an. 1512. *Cap. XXXIII.* constituit, nihil pro collatione ordinum accipiendum, neque etiam testimonii, sigilli, aut subscriptionis prætextu, idque sub onere restitutionis. Syn. Trid. *Sess. XXI. Ref. cap. 1.* omnem omninò causam præcidere voluit, qua lucrum aliquod ex collatione ordinum Episcopis, vel ejus ministris obvenire possit. Notario dumtaxat, ubi adsit consuetudo, et nullum sit ei constitutum salarium, decimam unius aurei partem accipere permittit, dummodo ex ea nihil Episcopus percipiat emolumentum. Ecclesia etiam Hispana, quæ in Syn. Illiberit. *Can. XLVIII.* sanxit ne baptizandi nummos in concham injicerent, ne Sacerdos, quod gratis accepit, pretio distrehere videatur; in Syn. Valent. an. 1565. *Sess. II. Tit. II. cap. 3.* ut omnis scandali tolleretur occasio, decrevit sub pœna excommunicationis, et dimidii aurei, ne aliquid in Baptismatis collatione exigatur. Expressius Syn. Tolet. XI. *Can. VIII.* Quicumque aut pro baptizandis, consignandisque fidelibus, aut pro collatione chrismatis, vel promotionibus graduum pretia qualibet voluntarie oblata susceperit; si scient loci Episcopi tale quicquam a subditis perpetratum, idem Episcopus duobus mensibus excommunicationi subjaceat. Si autem eo nesciente; si Presbyter est, trium mensium excommunicationi plectatur; si Diaconus quatuor, Subdiaconus vero, vel Clericus et competenti verbera, et debita excommunicatione plectendus est. Quamobrem jure meritò Syn. Compostell. an. 1056. *Can. II.* Simoniacum appellat non verissimum Christianum. (*)

ARTICULUS X.

DE USURA.

L. Usuræ vocabulum, quo latini cujuscunque rei usum significant, ad denotandum lucrum, quod in mutuo supra sortem exigitur, coarctatum est. Usura igitur sic propriè dicta definiri potest: *Lucrum, quod ex mero mutuo capitur;* quum scilicet post statutum tempus plus exigitur, quam mutuo datum est. Plura antiquitus distinguebantur Usurarum genera, uti *Centessimæ, Semisses, Trientes &c.* at de his fusius in nostris *Antiquitatibus Christianis,* ubi etiam de gravissimis antiquis Canonibus in usurarios constitutis pœnis, quum longius per hæc vagari nostri instituti ratio non sinat. Illud hic paucis dumtaxat observandum, Usurarios pœna ejectionis de Ecclesia nunquam non fuisse multatos; cui addes, 1. Privationem Ecclesiasticæ sepulturæ. 2. Usurarium oblationes ab Ecclesia rejectas, constituta pœna suspensionis ab Officio, et restitutionis acceptorum in Ecclesiasticos ejusmodi oblationes recipientes: *Cap. 3. et 7. de Usuris.* 3. Usurariis hospitia præbenda non esse, nec ædes locanda: *Cap. 1. de Usuris in VI. A.* Non modò ipsos, verum et eorundem hæredem ad usuras restituendas obstringi; cui pœnæ etiam usurarii mentales sunt obnoxii, quum ex naturali jure obligatio restituendi res aliena exoritur: *Cap. 9. et 10. hoc Tit.* Porrò non est cur in hoc capite explicando diutius immoremur, quum plenior ejus tractatio reservatum sit Theologis Moralibus peculium.

(**) LI. In Hispania Ecclesiastico jure pluribus usurarii pœnis sunt coerciti, Synodus Illiberit. *Can. XX.* Clericos usurarios excommunicatione et depositione feriendos, laicos in delicto persistentes projiciendos ab Ecclesia decrevit. Synodus Lateranensis III. *Can. XXV.* communionem, et oblationem, et in crimine decer-

dentes ab Ecclesiastica sepultura arcendos voluit, sub pœna suspensionis, Clericis eos ad præfata Ecclesiastica Officia admittentibus imposita. Synodus Lugdunensis I. *Can. XXV.* relato in *Cap. 2. hoc Tit. in VI.* nedum Lateranensis Constitutionem confirmavit, sed et Ecclesiastica sepultura privandos voluit etiam eos, qui restitutionem fieri testamento mandaverint, dummodo restitutio vel reipsa, vel idonea cautione præstita, peracta non fuerit. Quas quidem utriusque Concilii Constitutiones expressis verbis confirmavit Syn. Penna-fidel. an. 1302. *Cap. IX.* et Tarracon. an. 1331. in *Collect. Lib. V. Tit. X. cap. un.* Synodus Salmant. *Cap. XIV.* excommunicationem latæ sententiæ in ipsos contorquet: eosque jubet publice excommunicatos denuntiari. Synod. Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 17.* usurarios infames haberi; id quod decernitur etiam *Cap. 11. de Excessib. Prælat.* et pœnis à jure statutis puniendos quoque voluit; quin et declarat, contractus usurarios esse, *quando ratione tantum temporis res pluris quam valeat, venditur, vel quando anticipata pecunia minoris justo aliquid emitur.* Jure civili contractus usurarii sunt reipsa nulli: *Leg. XXXI. et XL. Tit. XI. Partit. V. et Leg. IV. Tit. VI. Lib. VIII. Nov. Recop.* Hæredes nequeunt in bona per usuras acquisita succedere, sed ipsa vel propriis dominis, si fieri possit, restitui, vel in defuncti suffragiis impendi jubentur: *Leg. II. Tit. XV. Partit. VI.* Pœnæ in ipsos inflictæ sunt infamia: *Leg. IV. Tit. VI. Partit. VII. et Leg. V. Tit. VI. Lib. VIII. Nov. Recop.* In semel perpetrata usura mutuatæ pecuniæ amissione et dupli quam lucrari sperabant solutione multantur; in iterata dimidiæ partis bonorum; et in tertio repetita cunctorum bonorum amissione puniuntur: *indic. Leg. IV. Nov. Recop. (*)*

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

DE PŒNIS ECCLESIASTICIS.

I. Disciplina veteris Ecclesiæ in puniendis graviorum criminum reis in eo potissimum erat, ut à societate, et communione Ecclesiæ abjicerentur, nec ipsis liceret in posterum cum ceteris fidelibus publicæ Ecclesiæ Liturgiæ adesse; atque adeo aliquando prohibebantur etiam lectioni Scripturarum, aut Episcopi sermoni interesse; quod alioquin ipsis gentilibus, ac hæreticis permissum erat. Hanc disciplinam Christus ipse, Apostolique Ecclesiam adocuerunt: *Matth. XVIII. v. 17. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, et publicanus.* Apost. I. ad Corinth. V. v. 11. *Si is qui frater nominatur, est fornicator, aut avarus... cum ejusmodi nec cibum sumere.* Eadem habet ad *Galat. I. v. 8.* et ad *Titum III. v. 10.*

II. Hæc potestas, qua Christus Dominus suam Ecclesiam munitam voluit, spiritualis fuisse videtur, nimirum spiritualibus pœnis in facinorosos homines animadvertendi. Verum modicam quandam, ac salutarem corporis castigationem ipsummet Christum Dominum insinuasse Evangelium non obscure prodit, dum *Matth. XXI. v. 12.* et *Joann. II. v. 15.* describitur facta de funiculis flagello sua ipsius manu omnes ementes, et vendentes è templo ejecisse.

III. Et sane jam inde à primis sæculis certis pœnis usa est Ecclesia, quæ licet eo intuitu, quo peccatorum respicientium, et conversionem spectabant, spirituales dici possent, revera tamen corporales erant, vel potius aliquid corporale admixtum habebant. Ejusmodi erant antiquitus jejunia, eleemosynæ, detrusio in monasterium, aliaque hujusmodi. At potissimum notanda videtur pœna fusti-

gationis, sive flagellationis, qua dominorum, magistrorum, ac potius parentum instar Episcopi suos Clericos, Abbates suos Monachos, quos delinquentes invenissent, coercébant. Meminit hujusce pœnæ S. Augustinus Ep. ad Marcell. Comit. *Can. 1. Caus. 23. Q. V. Confessionem... virgarum verberibus eruiisti: qui modus coercionis, et a magistris artium liberalium, et ab ipsis parentibus, et sæpe etiam in judiciis solet ab Episcopis adhibi.* (**) Id perspicue indicant Syn. Narbon. an. 589. *Can. XIII.* decernens, *Subdiaconos superbos verbis corripiendos, et si non emendaverint, stipendio privandos; reliquos Clericos flagris coercendos;* et Tolet. XI. *Can. VIII.* quo sancitur, ut Episcopus, Presbyter, aut Diaconus pro Baptismo, Chrismate, aut Ordinatione munera exigens, excommunicatione plectatur; *Subdiaconus vero, vel Clericus et competenti verberere, et debita excommunicatione feriat.* Hinc colligas necesse est, flagellationis pœnæ Clericos dumtaxat inferiores subjectos fuisse. (*)

IV. Profectò constat pœnarum, quibus hodiè Ecclesiastica Tribunalia utuntur, non levia vel ipsis prioribus Ecclesiæ sæculis vestigia præcessisse. Ac 1. eleemosynarum largitionem quod spectat, certe nihil antiquis Patribus adeo familiare fuit, quam eam pœnitentibus injungere. Unde S. Ambrosius Serm. de Elia: *Peccatis tuis venundatus es? redime te pecunia tua: vilis pecunia, sed pretiosa est misericordia.* Huic eleemosynarum largitioni successisse videtur pœna pecuniaria, cujus frequens injicitur mentio in Decretalibus, præsertim Alexandri III. et Innocentii III. Qua de re jure Decretalium Judices Ecclesiastici non ventantur pœnas pecuniarias imponere; (**) maximè quum pœna Judicis arbitrio infligenda est, et in delictis in quibus à Jure determinata non est: *Collect. Tarracon. an. 1591. Lib. V. Tit. XV. cap. 2.* (*) Porrò uti Confessariis in Tribunali Pœnitentiæ summopere cavendum est, *ne exigant a pœnitentibus pecuniam, aliudve temporale lucrum, sive ob pœnitentiam pro peccatis perferendam, sive quod res sit restitutioni obligata... nec omnino quidquam quovis quaesito colore.* I. Syn. Prov. Neap. *Cap. 16.* ita quoque Episcopus, ac Judices Ecclesiastici in pœnis pecuniariis imponendis, omnem avaritiæ, turpisque lucri suspicionem à se avertant oportet, ne salubre remedium ad quæstum pecuniæ convertere videantur: *Cap. 13. §. 2. de offic. Ordin. Cap. 3. de Pœnis.* Quam suspicionem profectò non vitabunt, ubi nimis facile, ac crebro ejusmodi pœnas infligant. Certe ubi crimen spiritualem pœnam requirit, pœna pecuniaria abstinendum est: *Glossa ad indic. Cap. 3.* (**) Ad rem *Collect. Tarracon. eod. Cap. 2. Prohibemus remissiones pro delictis enormibus, præsertim parte non satisfacta, et spirituali pœnitentia non peracta, de pœna infligenda fieri, ne ubi exaggeranda est, ibi fallaci misericordia aboleatur. In levibus vero criminibus... multæ pecuniariæ locus sit.* (*) Meritò igitur Concil. Trident. *Sess. XXV. Ref. cap. 3.* decernit, ut Episcopi possint quidem etiam in causis civilibus *per nullas pecuniarias procedere;* at statim subnectit: *quæ locis piis ibi existentibus, eo ipso, quod exacta fuerint, adsignentur.* (**) Eadem habent Concilia nostra Hispal. an. 1512 *Cap. LXII.* Valent. an. 1565. *Sess. V. Tit. IV. cap. 20.* et Tolet. ejusd. an. *Act. II. cap. 14.* (*)

V. Haud raro quoque in antiquis Canonibus mentio occurrit detrusio in monasterium pœnitentibus, ac præsertim Clericis, nonnunquam impositæ, ut ibi hominum oculis subducti facilius, et salutares pœnitentiæ exercitationes subire, et peccatorum occasiones vitare possent. (**) Synod. Hispal. II. *Can. III.* sic decernit: *Desertorem Clericum Cingulo honoris, atque Ordinis exitum, aliquo tempore in Monasterio deligari convenit, nam non poterit in talibus prævagationsi-*